Ego Vratislaus liber Baro in Pernestain, Dominus in Thowatschau, Prostiiecz et Leutomyschl, etc. Eques Aurei Velleris, Sacrae Caesae Mtis Domini
mei clementissimi Intymus Consiliarius, necnon Regni Bohemiae supremus Cancellarius, etc. Notum facio, universis, et singulis, adquos hae patentes literae meae,
pervenerint. Posteaquam Divus olim Romanorum Imperator, Carolus quartus, tanquam Rex Bohemiae, piae memoriae, Ecclesiam Collegiatam antiquae Boleslaviae, San-
ctorum, Cosmae, et Damiani dictam, atq. in hoc inclyto Regno Bohemiae sitam, ubi Sanctus Wenceslaus, a fratre suo Boleslao, causa cupidinis regnandi, enormiter
trucidatus, atq. sepultus est, Corona e spinetis contexta, qua mille puncturis, Sanctissimum Caput Christi, mifserandum in modum, fuit concisum, inper petuam rei
memoriam, tanquam Pater Patriae, pio cordis affectu, honestasset atq ornasset: me praesentem particulam, praefatae Coronae Spineae, non exigua cum difficultate,
a Honorabilibus, devotis, N. Praeposito, Decano et toto Capitulo nuncupatae, Collegiatae Ecclesiae antiquae Boleslaviae, impetrasse, atq. obtinuisse, ut ex literis
testimonialibus, totius Capituli, mihi simul cum illa datis, plenius atq fusius patet. Cum vero Illustris ac Magnificus Dominus, Dns Joannes a Borgia, Serenissimi
atq. Catholicissimi Regis Hispaniarum, etc. Consiliarius, et apud memoratam Sacram Caesaream Mtem q. Legatus, ad dictam particulam Spinae, de Corona Dni
Salvatoris nostri, tanquam thesaurum pretiosissimum, per devotam contemplationem, summam animi alacritatem cepisset, meq. ut ipsi eandem particulam, pro
ea amicitia, et coniunctione, quae mihi secum ipso intercedit, ad amorem et cultum Christi, communicarem, hocq. testimonium, quod talis particula, ex nuncupata Eccle-
sia, sit vera, et certa, de Corona Domini, darem, amantissime rogasset. Eius petitioni minime renuere potui. Quapropter cum sciam, quod nulla sit penes ipsum
tanquam hominem omni genere virtutum praestantissimum, ac devotissimum, illustrior species, quae eum magis ad amorem et cultum Christi, inflammet,
quam res sanctae; Talem particulam de Spinea Corona Dni, dicto Dno Joanni a Borgia, eo quo debeo animo, do, et exhibeo, atq publice fateor, ipsam
verissimam, omni fide dignam, atq certissimam esse. In cuius rei evidentius testimonium, has Patentes literas meas, fieri feci, manu propria
subscripsi, et Sigilli mei appensione, muniri iussi. Actum in Regia arce Pragen. ultima Octobris, Ano Dni Millesimo, quingentesimo, septuagesimo nono, etc.

Wra a Pernsstain

CULTURA
SANTA CASA Misericórdia de Lisboa
ARQUIVO HISTÓRICO

19

Testimonio de la espina q̄ me
dio el señor Pernestan.
Utetal.

6

CULTURA
SANTA CASA
Misericórdia de Lisboa
ARQUIVO HISTÓRICO